

Pariunt eosdem somnos illa, quæ aut valide obstruunt cerebri cavitates, vt plurimi, crassique vapores, aut humores: quo modo ebrios, & his quibus cerebrum pituitosum est, somni profundi continentur. Eadem ratione hyems, & alia, quæ extrinsecus cerebrum refrigerant paulò violentius, somnos profundos inducunt: quoniam vniuersum calorem à sensorijs repellunt: quæ verò cundem alliciunt, aut loca expeditunt, per quæ ille mouetur, leuioris somni sunt causæ. Ad quas quidem redigenda sunt, q[uod] Galenus in arte medicinali, & alibi de somno inter cerebri notas scribit, scilicet eos quibus cerebrorum calidum est, leuib[us] somnis esse contéto[s]: quod etiam illis contingit, qui cerebrum siccum abstinent: illi enim ut uigiles maximè sunt, sic quum dormiunt, leues habent somnos, contra quā in illici, qui uel frigido, uel humido, uel frigido & humido simul cerebro sunt prædicti. Eos autem, quibus calidum & humidum contingit, diu uigilare non posse, & ad somnum conuersos, unū cùm sopore vigilare scribit: quarum quidem rerum causas, pauci meo quidem iudicio, rectè interpretantur nā quidam, inter quos est Curtius dicunt, eos qui calido sunt cerebro, ideo leuiter dormire, quia leuiores patientiuntur obstrunctiones ex vaporibus in cerebro: ex quibus quidem contingit plus virtutis sensificæ fieri ad sensoria: quorum opinio nequaquam recipienda est. Nam et si calor vapores eleuatos discutere potest, alia tamen ratione obest, quod eos, & humores à subiectis partibus allicit, adeò ut non minus conferat ad obstrukcionem procreandam, & augēdam, quām tollendam. Deinde hæc opinio ponit, omnem somnum fieri à vapore ascendentem, & obstruente cerebri cavitates, quod antea falso esse ostendimus: omnibus enim habentibus cerebrum calidum, ex quaenque causa dormientibus, somnos breuiores, & leuiores contingere vult Galenus. Postremò non ad sensitivam facultatem, sed ad ipsius calidi influxum, ratio est redigenda. Acakias verò in commentarijs quos scripsit in artem medicinalem Galeni, tradit somnum fieri ab humore cerebrum replente, & grauante, nec non ob defatigationem principis facultatis, & ideo fieri somnos leues, in his, qui calido sunt cerebro, quia calor humiditatem absunit: eos verò quibus cerebrum frigidum est, somniculosiores esse, propterea quod unam habent somni causam, nempe frigiditatem, quæ minorem ( inquit ) vim ad procreandum somnum, quām humiditas obtinet: eos autem qui calidum, & siccum habent cerebrum, vigilantes esse: quia calore facultas concitatur, & humore nequaquam degrauatur. At illos, quibus cerebrum calidum & humidum existit, cum sopore vigilare, quoniam coniunctas habent somni profundi, & vigiliæ causas, calorem inquam & humorem. Ceterum humido & frigido cerebro prædictos, somnos profundos, & longos dormire tradit, ob copiam frigidæ humiditatis, qua cerebrum abdat. Qui quidem author in hoc hallucinatur: nam primum falso est, somnum omnem committit ab humore replente cerebrum, & defatigatione principis facultatis, multa enim alia sunt ( ut antea ostendimus ) quæ somnos faciunt, ut tenebræ, musica, externum frigus, titillationes pedum, & infinita alia, quæ ad prædictas causas redigi nequeunt. Deinde naturalis somnus, qui fit à repletione cerebri, non ab humorè grauante cerebrum, sed à vapore, obstruente illius cavitates, nascitur. Præterea male statuit somnum fieri ex laſitudine principis facultatis, nam ( ut antea id quoque docuimus ) non ex dissolutione alicuius facultatis, sed ipsius calidi innati, quando ex laſitudine, & consumptione nascitur, somnus contingit, aut si facultas aliqua afficitur, certè illa non est princeps ( ut ille statuit ) sed sensitiva. Addo quod sua non seruet principia, quum enim posuit somnum fieri, vel à repletione, uel à defatigatione, postea rationem reddit sumptam ex frigiditate, quando causam reddere vult, quur qui cerebro sunt frigido sint somniculosi, nec docere quidem potest, quid frigiditas conferat ad somnum. Quod uero somnos leues habeant, qui calido sunt cerebro, ratio non est ( ut ille arbitratur ) quod iliorum calor humiditatem absunit. Nam si solus calor ipsa temperie exuperat, nullus est humor superfluus, qui consumptionem requirat, alioqui deficiente humore, non solum calidum ( ut ponitur à Galeno ) sed calidum & siccum erit cerebrum. Præterea commune non erit hoc indicium omnibus, quibus cerebrum est calidum, nam si somnus ex defatigatione fiat, nullus erit humor absumentus, ut nec in alijs multis somni causis, quum tamen uelit Galenus, somnos fieri leues omnibus, quibus cerebrum est calidum. Vnam esse somni causam frigiditatem cerebri, nequit ille dicere, qui antea posuit somnum omnem fieri, vel à repletione cerebri, uel resolutione facultatis: & illud multo quidem minus, quod frigiditas minorem vim, quām humiditas, ad procreandum somnum obtineat, afferre potest. Nam ut Galenus in libris de Locis affectis, & passim alibi testatur, frigida non solum somnum, & sponges, sed etiam simul insensibilitatem afferunt: quum humor ex sua vi ignaua, & imbecilla, ad aliquid agendum minimum conferre valeat. Ea quoque nequit ille docere, quur siccitas ad vigiliam conferat, & humiditas, frigiditasque cerebri profundos, longosque somnos pariant. Ego verò aliter de his puto sentiendum: nam si vigilia fit, quum calidum influens ad cerebrum, & ab eo postea ad sensoria mouetur, somnus autem, quum idem calidu[m] eò non ascendit, meritò fit, ut quædam ex illis qualitatibus, quum in cerebro fuerint, ad somnum, & cum quidem profundum uel leuem, aut alterius generis: aliae verò ad vigiliam faciat: nam calor cerebri ideo vigiliam, aut leues somnos committit, quia internum calorem ad se allicit. Frigus verò, somni & eius quidem profundi causa est: quia calidum non mouet, & aliunde commotum temperat, impeditque suos motus exercere; humida qualitas cerebri, somnos & illos